

numerus certus & quidem propter perfectionem sumatur pro incerto sed tamen admodum insigni. Negari nequit, cum electio facta fuerit κατὰ πρόγνωσιν (nisi quis contra Scripturam electioni excludere velit oculum,) numerum electorum apud Deum esse certum, ne in uno quidem deficientem, sed tamen non fatalem, ex absoluto decreto profectum. Ita KROMAYERVS in locum Apolypticum egregie commentatur. Dignum caeterum portentoso HELMONTII junioris ingenio fuit commentum, quando inter reliqua ἀτοπα numerum salvandorum inire voluit, & calculum divinum penitius, & ipso Paulo exquisitius, introspicere. Dignum est autem, ita scribit: *consideratione nostra, & diligenti exquisitione, an non ex proportione sanctae civitatis ad terram universam collatae, quota pars humani generis, quod hujus mundi est, salvanda sit in hoc mundo, mystice & quasi occulte nobis exhibeatur, ubi deinceps ad varios & mirabiles computos delabitur, qui tandem in eo delirio terminantur, ut in 52. mundorum septimanis hoc est 365000. annis universum genus hominum salvatum iri statuatur, Seder olam, seu ordine Seculorum, pag. 29.* Placent magis verba gravissima piorum Confessorum F. C. pag. 812. de numero electorum equidem apud Deum certo, sed a nobis minime indagando.

## XX.

Vnum adhuc, & non postremum quidem, licet postremo loco expendendum nobis est momentum, quemadmodum sic sibi constet D. Lutheri nostri versio, quam de computo nihil habere, legenti cuivis apparet. Verum jam ex supra dictis confectum putamus, Divum Patrem tametsi non voces, rem tamen ipsam egregie expressisse; quando enim commate 27. ita locutum introducit Prophetam: Wenn die Zahl der Kinder Israel würde seyn wie der Sand am Meer / so wird doch das übrige seelig werden. Tantam